

NUMMI VOTIVI

AC TRIUMPHALES: CUSI IN HO-

norem memoriamque Henrici II. Galliarum Regis, ob res præclare fortiterque gestas. Anno Christi 1552.



Rest tibi (lector benevole) eadem in charta nummos exhibemus, qui triumphum, & quæ hujus sunt insignia, Henrico II. Gallorum Regi tribuunt, ob res feliciter, diversis in locis, eodemque penè anno, gestas. Et quæ illa? Lauro dignus judicabatur (verbo singula attingimus) quod è Rhemis in vicinos Lencos, quos hodie Lotharingos vocant, cum exercitu movens, Tullum & Nancium occupavit: Principem puerum deduci in Galliam: matrem ejus amitamque Lotharingi cedere jussit. Quod Mediomatricum urbem, Imperio addictam, per Conestabillum regni sui Momerantium cepit: captam præsidio firmavit. Quod terrore militis sui (hoc namque etiam sibi Rex arrogabat) effecit, ut Cæsar Saxonem & Landtgravium vinculis tandem suis liberaret. Quod Veromanduos ingressus, (Lucenbergensem hodie agrum vocant) Astenæum, Dannvillerium Verodunum, Luosium, Lumesinam sui juris fecit: